

FRANCO LEODIENSIS CANONICVS.



FRanco uir in diuinis scripturis doctissimus, atque in politioribus literis nulli suo tempore secundus extitit. Fuit enim Philosophus, Astronomus, & Orator insignis. nec minus religione quam scientia uenerabilis. Itaque is Leodiensis ecclesiae Canonicus, & paulo post scholasticus creatus fuit. Ibi dem diligenter antiquorum scripta euoluit, atque ad Hermannum Archipraesulem Coloniensem insigne opus de quadratura circuli conscripsit. Aedidit etiam librum de computo Ecclesiastico & quibusdam alijs. Floruit circa annum Christi millesimum sexagesimum quintum, sub Henricis Caesaribus. Trit. in script. Ecclesiasticis.